

Franz Wolf Johann Tangatz

## **Collegii Theologici Disputatorii, Disputatio Decima Septima, De Jesu Christi Duabus Naturis, Et Unione Earum In Unam Personam**

Rostochii: Richelius, 1697

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn740904167>

Druck Freier  Zugang



RU theol. 8.Mai 1697

Wolf, Francisco /f.







I. N. J. (c) 289A

COLLEGII THEOLOGICI  
DISPUTATORII.

DISPUTATIO DECIMA SEPTIMA,  
DE

JESU CHRISTI  
DUABUS NATURIS, ET  
UNIONE EARUM IN U-  
NAM PERSONAM,

Quam,  
adspirante DEI T. O. M. gratiâ, consensu  
Pl. Rev. Facult. Theol.

PRÆSIDE

FRANCISCO WOLFIO,

TH. D. & P. P. Collegii Senatorii Seniore,

Pastore ad D. Mariæ, & R. Min. Rostoch.

Directore,

publico Eruditorum Examini

IN ACROTERIO THEOLOGORUM

subjecturus est

JOHANNES TANGATZ,

Mecklenb. Fürstenb.

ROSTOCHII, Typis JACOBI RICHELII, Ampliff. Senat. Typogr,

Anno 1697. d. 8. Maji,

R



**D**onorum, quæ ex vivo gratiæ universalis & *Φιλανθρωπίας* divinæ fonte in miserimum per peccata humanum genus profluxerunt, omnium primum & longe pretiosissimum est ipse Filius DEI unigenitus, propitiatio pro peccatis, non tantum nostris, sed etiam totius mundi futurus, & factus, 1 Joh. II. 2. qui ad eò proximum sibi à gratia illâ Universali DEI locum vindicat.

S. 2. Ad tria vero in universum summa capita revocari possunt, quæ fides nostra in admirabili hac œconomia submissè deveneratur. *Primum*, tradit ea, quæ ad Personam hujus mediatoris DEum inter & homines unici pertinent; *Alterum* exhibet diversos hujus mediatoris status & vivendi rationes. *Tertium* denique emedullat officii partes varias, quibus hic mediator noster defunctus est & defungitur.

S. 3. Circa primum Caput, ipsam nempe Personam, rursus tria distinctè consideramus. (1) Personam ex unione duarum naturarum conflata, (2) Communicationem sive Communionem naturarum, & propositiones ex hac unione personali fluentes, quæ vocantur personales. (3) Communicationem idiomatum, cum propositionibus ex hac communicatione idiomatum resultantibus, quæ vocantur propositiones per communicationem. Hac vice tantum agemus de ipsa Persona ex duarum naturarum conjunctione personali adunatâ, reliquæ sequentibus, si DEus voluerit, reservaturi.

S. 4. In personâ hac consideramus (α) ejus nomina & titulos. (β) Ejus naturas & personalitatem sive hypostasim. (γ) Unionem & unionem harum naturarum in unam hanc hypostasim.

S. 5. Nomina ei in sacro codice varia tribuuntur, quibus suo modo insinuantur naturæ, status, & officia hujus personæ, quæ passim videri poterunt, conf. Gerh. exeg. §. 24. & Qvenst. Syst. part. 3. c. 3. p. 74. Pauca hic delibabimus. (1) Ante omnia vocatur JESUS, ab Hebræo *ישוע*, unde *ישו*, à quo .. in *η* mutato, & *υ* eliso, habetur vox JESU, cui si addatur paragogicum *ς*, more non insolenti Græcorum, habetur JESUS, uti ex Thoma Thomas, Messia Messias, Satana Satanas, ut loquitur Danhawerus Hodosoph. phæn. 8. p. m. 599. Datum ei hoc nomen a DEO per Angelum, antequam nasceretur, imo conciperetur. Matth. I. 21. Luc. I. 31. & impositum in circumcissione Luc. II. 21. notat non tantum servatorem, sed etiam Hospitorem & Salvatorem, interprete Angelo Matth. I. 21. ratione meriti & acquisitionis omnium hominum Joh. IV. 52. 1 Tim. IV. 10, ratione fructus autem credentium. (2) Messias i. e. Christus sive unctus, vid. 2. Sam. XXIII. 1. Pf. II. 6. Esa. LXI. 2. Dan. IX. 25. & Joh. IV. 25. *ολεο non materialis, nec exterius, aut ad mensuram, & ab homine;* sed



sed Spiritu Sancto, instar olei invisibilis, interthè, sine mensura, & à DEO immediate Pf. XLV. 8. Joh. III. 34. Et quidem uti ab æterno ad hæc officia destinatus, ita in tempore tribus vicibus est unctus, exemplo Patris sui Davidis. Ut David primò unctus est clam, in domo Patris à Samuele 1 Sam. XVI. 13. deinde Hebrone palam à tribu Juda 2 Sam. II. 4. & tandem solennissimè à toto populo 2 Sam. V. 3. ita hic filius Davidis unctus est primo clam, per Spiritum S. in utero, & unione personali, Luc. II. 11. mox palam, in baptismo Luc. IV. 18. Act. X. 38. Et tandem solennissime, in sessione ad dextram Patris, Act. II. 36. Denique ut olim ungebantur *Sacerdotes* Exod. XXIX. 7. Cap. XXX. 30. Cap. XL. 13. *Reges*, 1 Sam. X. 1. Cap. XVI. 13. unde & Cyrus dicitur *Χειρὸς* Ef. XLV. 1. & *Propheta* 1 Reg. XIX. 10. conf. Pf. CV. 15. Ita ad hæc tria officia hæc Persona est uncta. (3) Vocatur *μεσίτης*, mediator 1 Tim. II. 5. conf. Hebr. VIII. 6. Cap. IX. 15. Cap. XII. 24. Uti est secunda, i. e. media inter Patrem & Spiritum S. Persona, ita & ab æterno constitutus est mediator DEum inter & homines, & in tempore, obedientiâ, & Satisfactione pro peccatis mundi præstitâ, cum DEO homines reconciliavit, & pro iis intercedit. Hinc pie nonnulli observant, mediatorem etiam media nocte fuisse natum ex Sap. XVIII. 14. in meditullio quasi *ὀκνημένως* olim notæ, Hierosolymis passum ex Pf. LXXIV. 12. in medio latronum crucifixum, in medio quasi inter terram & cælum loco mortuum, in medio discipulorum pacem impertiturum constituisse, Joh. XX. 19. adesse hodiernum ex promisso in medio suorum Matth. XVIII. 20. & ambulare in medio candelaborum, nempe Spiritum suum & virtutem omnibus Ecclesiarum membris instar cordis dispensaturum &c.

§. 6. Ipsam verò hujus Mediatoris Personam quod attinet, completur ea duas naturas, divinam nempe & humanam, & unam substantiam sive personalitatem, ex quibus una fit persona, non plures. Quæ inde solet dici à quibusdam persona *ὁν θεῶν*, adeoque Christus est Persona quæ est & DEus verus, de substantia Patris ab æterno genitus, & verus homo de substantia matris, absque viri concursu, in tempore natus, in una indivisa hypostasi subsistens, sive est persona *θεῶν ἁπάντων*.

§. 7. Personæ vox apud Scriptores Latinos interdum sumitur *abstractive*, & notat qualitatem illam, vel corporis, vel fortunæ, sive veram sive fictam, (qualis in histrion. us est, qui inde dicuntur personati) qua quis ab alio differt. Sic v. g. paupertas est persona, qua quis differt à divite, adeoque hac ratione multæ personæ, in una naturâ, etiam individuâ, esse possunt. Interdum verò sumitur *concrete*, & notat substantiam rationalem, v. g. hominem, qualitate quadam affectum. Sic legas apud Tullium personam gravem, i. e. hominem gravitate ornatum. In Theologicis verò



persona concretive sumpta notat *substantiam rationalem, peculiari & proprio subsistendi modo definitam*, qui modus subsistendi dicitur *subsistentia*, hypostasis, personalitas, estque illud formale, quo substantia rationalis in esse personæ constituitur, cum naturam rationalem habeat cum aliis communem. Adeoque persona nihil aliud est quam *suppositum intelligens*, sive singulare intelligens per se subsistens. Omnis persona est suppositum: non contra. Suppositum latius patet personam, & est quodlibet singulare per se subsistens. Per se subsistere quid sit, cum commode satis vix queat exprimi, dicendum potius, quid non sit, nempe illud per se subsistit, quod prorsus est incommunicabile. (1) Quia non potest prædicari de pluribus in casu recto cum sui multiplicatione. (2) Quia nec potest prædicari de pluribus in recto sine sui multiplicatione. Hinc vox DEUS non prorsus est incommunicabilis, quia potest de tribus Deitatis personis prædicari, licet sine sui multiplicatione. (3) Nec potest prædicari de pluribus in obliquo. Sic anima rationalis nondum est incommunicabilis, quia de corpore humano, cui ut forma communicatur, potest prædicari saltem in obliquo, v. g. corpus est animam præditum, quæ & in statu separationis apta tamen manet, ut in sit corpori, & de eo in obliquo prædicari possit. Observandum tamen, per subsistentiam incommunicabilem reddi non tam ipsam naturam, quam suppositum illud, & personam, quæ ex natura & subsistentia consurgit. Quamvis verò persona ex natura & subsistentia constet, neutrum tamen in recto distincte significat: si dixeris, persona est natura intelligens per se subsistens, sequeretur, sicut sunt tres personæ, ita & tres naturæ intelligentes in DEO per se subsistentes, quod absurdum. Sin dixeris, persona est subsistentia naturæ intelligentis, abstractum prædicaretur de concreto, ut in hac v. g. album est albedo. E. persona est aliquid ex naturam & subsistentiam constans.

§. 8. Quamvis verò aliàs unius personæ non nisi una sit completa natura sive essentia, & quælibet natura completa, unicam, eaque propriam sibi subsistentiam determinetur, illud tamen persona JESU CHRISTI præ omnibus aliis peculiare habet, atque sibi proprium, ut in eam unicam numero, duæ perfectæ & completæ naturæ, divina & humana, unicam etiam numero subsistentiam sive personalitate terminentur. Unde merito hic habetur ὁμοῦς ὁμολογῶντες μὴ εἶναι τὸ ἴδιον εὐσεβείας μυστήριον. 1 Tim. III. 16.

§. 9. Esse in hac persona divinam essentiam sive naturam, negant quidem (1) qui contendunt eum esse hominem nudum, qui non prius existerit, quam ex Virgine Maria nasceretur, ut Judæi Matth. XIII. 55. Joh. VI. 42. & in Ecclesia veteri Carpocrates, Ebion, Artemon, Paulus Samosatenus, Photinus, Superiori etiam seculo Servetus, Blandrata, Lælius & Faustus Socini



Socini. (2) Qui concedunt quidem existisse ipsum ante Mariam Virginem, imò ante omnia secula, nondum tamen esse DEum, sed creaturam ante secula ἐξ ἑκ ὕψους factam. Ita Ariani. Interim firmissimè probatur ex eo, quod IESUS Christus sit unigenitus ille DEI Filius, adeoque, cum essentia DEI multiplicari nequeat, ejusdem etiam numericæ cum Patre & Spiritu S. essentia, vid. Joh. I. 14. c. III. 16. Matth. III. 17. Luc. I. 35. conf. hic quæ pro divinitate Filii allata jam sunt Disp. 4. à §. 9. ad 16.

§. 10. Habere quoque IESUM veram naturam humanam, negarunt varii. Quidam (1) voluerunt eum putative tantum fuisse hominem, venisse in Phantasmate, adeoque nec revera natum nec passum esse. Ita deliravit Saturninus, Basilides, & horum Antesignanus Simon Magus, apud Iren. I. c. 21. Tertull. de Præscript. Epiphani. hæref. 24. (2) alii somniarunt habuisse quidem Christum corpus, ceterum in utero matris non adsumptum, nec nostris corporibus consubstantiale, sed spirituale, è cælo delatum, vel ex sidereâ & aëreâ materia commixtum, quod per uterum matris quidem transierit, ut a qua per canalem, nihil tamen de substantiâ matris adsumpserit. vid. Tertull. de præscript. ferme sub finem. (3) Rursum alii admiserunt quidem Christum habuisse corpus nostris consubstantiale, animæ tamen expers, cum animæ vices natura ejus divina suppleverit. Sed idem evidentissime probatur è Scripturis, quæ eum fore semen mulieris, prædixerunt Gen. III. 16. & semen Abrahamæ Gen. XXII. 18. Filium Davidis ex civitate Davidis oriundum, Mich. V. 1. In N. T. sæpius etiam filius hominis vocatur, cujus genealogia texitur, & in lineâ ascendente à Josepho usque ad Adamum Luc. III. à v. 23. & in lineâ descendente ab Abrahamo usque ad Josephum Sponsum Mariæ, ex qua Christus natus est Matth. I. à v. 22. In specie ei tribuitur verum corpus, ad Hebr. XI. 14. quod flagella, clavos, lanceam & vulnera passum est, & sanguinem fudit, teste passionis historia: nec non anima, Joh. X. 15. 18. Matth. XXVI. 38. Luc. XXIII. 46. Tandem veritatem hanc confirmant proprietates & infirmitates humanæ naturæ ipsi passim tributæ, conf. Hebr. IV. 15. Cap. V. 2.

§. 11. Licet autem utraqve harum naturarum suam aliàs habere soleat propriam subsistentiam & personalitatem; & hypostasis divina cum natura divini peculiarem, hypostasis autem humana cum natura humana etiam peculiarem constituat personam, in IESU Christo tamen hæ duæ naturæ non constituunt duas personas, quarum altera sit DEus, altera homo, sed unicam prorsus numero personam, quæ simul est DEus & homo. Hinc eadem persona, quæ vers. 29. vocatur IESUS, mox vocatur Filius DEI Joh. I. 34. & eadem persona, quæ Joh. III. 12. & 14. dicebatur filius hominis, mox in eadem orationis serie v. 16. vocatur Filius DEI unigenitus. Rursum Luc. I. idem filius Mariæ



Mariæ IESUS, mox v. 32. & 34. vocatur Filius altissimi & Filius DEI. Sane idem qui ex Maria natus, est filius hominis & homo: Atqui idem, qui ex Maria natus est, est Filius DEI & DEUS. E. idem Filius DEI & DEUS est filius hominis & homo. Conf. 1 Timoth. II. 5.

§. 12. Hinc, quia non sunt duæ in Christo Personæ, licet sint duæ in eo naturæ completæ (qvot enim sunt naturæ intelligentes completæ & subsistentiæ, totidem constituuntur personæ, cum persona nil aliud sit, quam aliquod ex naturâ intelligente singulari & personalitate sua constatum suppositum.) colligitur alterutram harum naturarum propriâ sua subsistentiâ sive personalitate esse destitutam, adeoque hanc subsistentiam à natura sua realiter differre, cum ab ea potuerit separari, qvod ex lumine naturæ aliàs certo non innotuisset. Quia vero hypostasis divinæ naturæ propriâ à parte rei cum essentia divina identificatur, nec in DEO ob summam perfectionem compositio realis ex natura & hypostasi locum habeat, hypostasis divina à natura divina non est separata, sed in Christo permanfit, sequitur hypostasin naturæ humanæ fuisse ab ea realiter distinctam & separabilem, adeoque humanam naturam propriâ sua personalitate in Christo destitutam, ab hypostasi divinæ naturæ fuisse terminatam, & in eandem adsumptam: ut adeo Christus sit una persona per hypostasin unam divinæ naturæ, in quam natura humana fuit adsumpta. Et cum in divina natura sint tres inter se realiter distinctæ hypostases, alia Patris, alia Filii, alia Spiritus S., Christus est una persona non per Patris, nec per Spiritus Sancti, sed per solius Filii hypostasin, qui in utero virginis caro, i. e. homo factus est. Joh. I. 14. & 34. Gal. IV. 4. Ex qvo etiam patet, rectius dici, Filium DEI assumpsisse humanam naturam, quam hominem, cum vox homo soleat suppositum humanum, naturam humanam cum sua subsistentiâ propriâ significare; Dices: Ergo humana Christi natura est imperfecta, quia hypostasi suâ destituitur. Resp. N. quia (1) perfectio humanæ naturæ ex partibus essentialibus & integralibus, non ex subsistentia existimatur, & (2) finita hypostasis per divinam infinitam suppletur.

§. 13. Actio illa, quæ ex duabus his naturis in eandem hypostasin divinæ naturæ coëuntibus coaluit *θεάνθρωπος*, dicitur assumptio humanæ naturæ, & incarnatio ex Hebr. II. 16. Joh. I. 14. Assumptio quidem quatenus *λόγος* active est assumens, humana verò natura passive est adsumpta. Incarnatio verò quatenus *λόγος* passive, (non physice, sed grammaticè) est carne indutus vel vestitus. In eâ verò duæ partiales quasi actiones considerari possunt, tempore simul, naturæ ordine distinctæ. Cum enim uniri humanam naturam præsupponat eam productam esse, omnino etiam in signo rationis prior concipitur actio humanæ naturæ productiva, posterior actio unitiva sive unio cum divinâ naturâ intra ejus hypostasin.

§. 14. Efficens hujus productionis per appropriationem est Spiritus S. Luc. I. 35. Matth.



35. Matth. I. 20. & XVIII. (Non tamen excluduntur reliquæ personæ, quia est opus ad extra, per eandem tribus Deitatis personis potentiam essentialem productum) & videtur insinuari Luc. I. 35. adeoque Spiritus S. per immensitatem & infinitatem suam omnipræsens, in Mariâ novo modo præsens fuit, & hanc præsentiam peculiari effectu demonstravit, potestque hæc ejus actio componi cum illa, quæ Gen. I. 2. incubando aquis eas quasi fovit, & ad productionem creaturarum efficax fuit. Utrum corpus Christi totum quoad omnia intrinseca, simul & in instanti sit formatum, simulque in eodem instanti cum anima productâ unitum; an verò successivè, & per plura instantia, & per quot, tuto, tacente Scripturâ, ignoramus. Certum illud, in termino hujus productionis ipsam consistere conceptionem Jesu Christi, & corpusculum Christi modo naturali in utero matris esse nutritum & incrementis auctum, usque ad partus maturi justam mensuram, quia Maria peperit completis ad pariendum diebus. Luc. II. 6.

§. 15. Facta tamen est Conceptio hæc miraculosè, dum Spiritus S. massam sanguineam virginis sanctificavit, & ad consuetum generationis locum delatam disolvit, & ita elevavit, ut sine virili semine, Luc. I. 34. 37. Matth. I. 18. ex eâ fieret perfectus foetus humanus, ut ita fieret nobis consubstantialis Hebr. II. 14. 17. & tamen absque omni labe propriâ purus, Hebr. VII. 26. I Pet. I. 19. I Pet. II. 22. 2 Cor. V. 21. Et quamvis affunderit λογος etiam infirmitates naturæ humanæ communes, non peccaminosas, v. g. famem, sitim, nec personales, quas assumi generi humano non expediebat, & dignitati naturæ derogasset, v. g. cœcitatem &c. prærogativam tamen in aliquibus habuit v. g. in pulchritudine corporis & animæ, Pf. XLV. 7. & immortalitate, quatenus ea fluebat ex naturâ ejus integrâ & sine peccato conceptâ.

§. 16. Productionem naturæ humanæ in signo rationis excipit actus unitiois transitorius, quo extrema unibilia, duæ nempe illæ naturæ in hypostasi λογος ita sunt conjunctæ, ut unam personam, unum Θεάνθρωπον, constituerent. Non enim hic concipienda sunt duo instantia realia, quorum priori natura humana sine sua propriâ subsistentia sit producta extra hypostasim λογος, posteriori demum sit hypostasi λογος insita. Hinc quidam productionem humanæ naturæ & ejusdem cum λογω unitioem pro uno actu reali habent, qui quatenus respicit naturam humanam in se, dicitur productio humanæ naturæ; quatenus verò respicit humanam naturam non in se, sed ut productam in hypostasi λογος, eaque terminatam, dicitur Unitio. Terminus hujus actionis, sive id, quod per eam producitur, est duplex, 1. formalis & quo, 2. adæquatus & qui, per incarnationem nempe est primò intentus & productus. Adæquatus est Jesus Christus sive Θεάνθρωπος. Formalis, quatenus est productio, est humana natura; quatenus verò est unitio, sive actio unitiva, est ipsa unio permanens, cessante jam unitiois actu, per hanc enim productam intendebatur productio personæ Θεάνθρωπος, hinc dicimus, ipsum Christum & Θεάνθρωπον in utero virginis esse conceptum, eumque esse natum.

§. 17. Unio hæc per unitioem producta, est naturæ humanæ cum divina Filii intra hypostasim λογος permanens adunatio, sive vinculum, per quod utraqve unam personam Θεάνθρωπον permanentè constituit. Unio hæc non est qualiscumque conjunctio,



junctio, qualis inter DEum & credentes, 1 Cor. III. 16. 1 Cor. VI. 17. Non est (1) *naturalis*, quia natura incompleta per se ordinatur ad constituendam cum altera unam tertiam, qualis est inter animam & corpus. Nec est (2) *essentialis*, cum extrema sunt partes essentielles, ut anima & corpus, coalescentes in unum essenziale, in unam essentialiam. Nec (3) est *accidentalis*, quasi hoc vinculum, quo extrema coherere sit accidens quoddam; est enim ipsa hypostasis sive personalitas, quae est modus quidam substantialis. Nec (4) facta est *per mixtionem*, quasi naturae id esse desierint, quod ante unionem erant, quomodo elementa inter se mixta uniuntur ad constituendum unum mixtum. Nec (5) *per absorptionem* vel conversionem unius in alterum, ut gutta vini in aquam sparsa convertitur, vel absorbetur ab aqua, manent enim essentialia & proprietates harum naturarum in ipsa unione distincta & salva. Et hinc per Synodum Chalcedonensem definitum est, Christum in duabus naturis esse *ἀσυγχύτως καὶ ἀίρεπτος*. Sed est arctissima & indissolubilis, cum nec in triduo mortis unio inter partes essentielles humanae naturae & divinam naturam fuerit soluta, licet naturalis, quae inter animam & corpus, re vera sit soluta, Nec unquam solvi debet. Unde in eadem Synodo est definitum, Christum esse in duabus naturis *ἀδιαιρέτως καὶ ἀχωρίστως*. Est & dicitur *personalis* & hypostatica, quia ipsa uniendi ratio est hypostasis & personalitas *λόγος*, & id quod per eam constituitur, est una per se persona.

§. 18. Extrema unita sunt naturae divinae & humanae. Divina non absolute spectata ut est communis tribus personis, sed quatenus in hypostasi *λόγος* subsistit, sive prout est natura Filii. Hinc Hunn. de person. Christi Tom. 1. Col. 341. *Ἡμετέρα φύσις, καὶ ἀμείσως unitur persona λόγος, ἧς mediante persona sive hypostasi Filii Dei unita predicatur assumpta humana natura*, Conf. Grauer. in art. 3. A. C.

§. 19. Denique observandum, unionem hanc in Christo subjectivè esse in solâ humanâ naturâ, quae per eam perficitur. Divina verò natura non est ejus subiectum, sed terminus pure intrinsecus, largiturque humanae naturae per eam ut subsistat, interim divina natura nec recipit in se eam, quia omnis potentiae passivae expers est, nec ob perfectionem suam summam ab ea perfici potest.

§. 20. Constituta per hanc unionem personalem persona, non tantum vocatur *Θεὸν Ἰησοῦν*, sed etiam Filius hominis, nunc Filius DEI. Et ideo Maria non tantum *Χριστινὴ*, & *ἀνθρώπινη*, sed etiam *Θεοτὴν* rectè dicitur, non tam, quod genuerit eum ratione divinitatis, sed quia genuit personam illam, quae DEus & homo est, secundum humanitatem. Et in hac generatione passivâ, & nativitate passivâ, fundatur relatio Filii ad matrem, quae dicitur filiatio. Et quia in Christo duplex nativitas, aeterna, & temporalis, fundantur in his duae filiationes, nempe divina aeterna, & humana. Non tamen propterea duo sunt Filii, nempe aeternus & in tempore natus, Relationes enim plures non multiplicantur relata, nisi & subiecta, quibus insunt, plura sint. Sic in patre, qui plures habet filios, plures dantur paternitates, & tamen unus est pater, non plures. Et sic ob unitatem subiecti filiationis utriusque, unicus manet Filius & DEI & hominis.













35. Matth. I. 29. & XVIII. (Non tamen excluduntur reliquæ perforæ ad extra, per eandem tribus Deitatis personis potentiam essentialem perdetur insinuari Luc. I. 35. adeoque Spiritus S. per immensitatem & omnipræsens, in Mariâ novo modo præsens fuit, & hanc præsentiam demonstravit, potestque hæc ejus actio componi cum illa, quæ Genesim aquis eas quasi fovit, & ad productionem creaturarum efficax fuit Christi totum quædam omnia intrinseca, simul & in instanti sit formatæ eodem instanti cum anima productâ unitum; an verò successivè, & per quot, tuto, tacente Scripturâ, ignoramus, Certum illud, in te ductio ipsam consistere conceptionem Jesu Christi, & corpusculi naturali in utero matris esse nutritum & incrementis auctum, usque justam mensuram, quia Maria peperit completis ad pariendum diebus.

§. 15. Facta tamen est Conceptio hæc miraculosè, dum Spiritus vineam virginis sanctificavit, & ad consuetum generationis locum & ita elevavit, ut sine virili semine, Luc. I. 34. 37. Matth. I. 18. ex eâ fieret humanus, ut ita fieret nobis consubstantialis Hebr. II. 14. 17. & tamen propriâ purus, Hebr. VII. 26. I Pet. I. 19. I Pet. II. 22. 2 Cor. V. 21. Et rit  $\lambda\omicron\gamma\omicron\varsigma$  etiam infirmitates naturæ humanæ communes, non peccatam famem, sitim, nec personales, quas assumi generi humano non expectati naturæ derogasset, v. g. cœcitatem &c. prærogativam tamen in v. g. in pulchritudine corporis & animæ, Pf. XLV. 7. & immortalitatem habebat ex naturâ ejus integrâ & sine peccato conceptâ.

§. 16. Productionem naturæ humanæ in signo rationis excipit transitorius, quo extrema unibilia, duæ nempe illæ naturæ in hypostasi conjunctæ, ut unam personam, unum  $\Theta\epsilon\acute{\alpha}\nu\theta\rho\omega\pi\omicron\nu$ , constituerent concipienda sunt duo instantia realia, quorum priori natura humana subsistentia sit producta extra hypostasim  $\lambda\omicron\gamma\omicron\varsigma$ , posteriori demum insita. Hinc quidam productionem humanæ naturæ & ejusdem cum pro uno actu reali habent, qui quatenus respicit naturam humanam ductio humanæ naturæ; quatenus verò respicit humanam naturam productam in hypostasi  $\lambda\omicron\gamma\omicron\varsigma$ , eaque terminatam, dicitur Unio. actionis, sive id, quod per eam producit, est duplex, 1. *formalis* & 2. *realis*, per incarnationem nempe est primo intentus & productus est Jesus Christus sive  $\Theta\epsilon\acute{\alpha}\nu\theta\rho\omega\pi\omicron\varsigma$ . Formalis, quatenus est propria humana natura; quatenus verò est unio, sive actio unitiva, est ipsa cessante jam unionis actu, per hanc enim productam intendebatur naturæ  $\Theta\epsilon\acute{\alpha}\nu\theta\rho\omega\pi\omicron\varsigma$ , hinc dicimus, ipsum Christum &  $\Theta\epsilon\acute{\alpha}\nu\theta\rho\omega\pi\omicron\varsigma$  esse conceptum, eumque esse natum.

§. 17. Unio hæc per unionem producta, est naturæ humanæ intra hypostasim  $\lambda\omicron\gamma\omicron\varsigma$  permanens adunatio, sive vinculum, per quod personam  $\Theta\epsilon\acute{\alpha}\nu\theta\rho\omega\pi\omicron\nu$  permanentem constituit, Unio hæc non est

